

§. 3. Videntur autem ea Compendia utiliora esse, quae thesi antithesin statim subiungunt, quia thesis, ut recte intelligatur, non potest dilucide exponi, nisi adductis subinde obseruationibus, distinctionibus, limitationibus et id genus aliis, has autem ne capere quidem possumus, nisi intellecta antithesi. Neque metuendum est, ut compendium in Systema degeneret, quia, ut thesis, ita et antithesis breuiori ratione potest tractari.

§. 4. Nos eius rei faciemus periculum ea methodo, ut

- I. *Doctrinis quibuslibet probationes, certis classibus, non tamen, nisi paucis, plerumque tantum duabus, aut tribus, memoriae consulendae causa, inclusas, subiiciamus.*
- II. *Vt prima classis semper claram Scripturae literam, i. e. unum alterumue praecipuum Scripturae testimonium comprehendat, in quo doctrina suam quasi habet sedem, reliquis ex analogia reliquarum doctrinarum adiectis.*
- III. *Breui neruo ostendemus vim ex eo concludendi.*
- IV. *Aduersarios etiam praecipuos tantum, utpote Pontificios, Calvinistas, quandoque Socinianos, et recentiores alios, qui grauius errant, adducemus.*
- V. *Argumenta contraria tantum praecipua ponderabimus.*
- VI. *Omnia simpliciter et perspicue proponemus et ideo a terminis philosophicis, quippe non omnibus notis, quantum fieri poterit, abstinemus. Faxit DEVS, ut id fiat feliciter et cum salutari studiorum incremento.*

PRAE.